

spiritu sancto solempniter decantata et aliis missis privatis per singulos fratres celebratis ceterisque fratribus in minoribus ordinibus celesti pane vegetatis in locum capitularem hora tertiarum nos recepimus de electione futuri abbatis tractaturi, ubi singulariter singuli in manibus dicti domini Iohannis Bruggeman prioris presidentis et ipse in manibus domini Martini Brun custodis ad sancta dei ewangelia huiusmodi tenoris prestitimus iuramenta: Ego N. promitto et iuro omnipotenti deo et sancto Iohanni baptiste patrono huius monasterii eum eligere quem credam profuturum ecclesie in spiritualibus et temporalibus utiliorem nec illi vocem dare quem verisimiliter scivero promissione aut datione alicuius rei temporalis seu prece per se vel aliam personam interpositam aut alias qualitercumque directe vel indirecte per se electionem procurare. Huiusmodi siquidem iuramentis sic per nos prestitis in duos scrutatores ymmo verius compromissarios videlicet religiosos fratres Iohannem Bruggeman priorem et Martinum Brun custodem compromisimus sub hac forma ut secrete et sigillatim suorum et omnium nostrorum votis scrutatis et inquisitis illum eligerent in abbatem in quem maior et sanior pars capituli consentiret et dirigeret vota sua ac electionem huiusmodi pronunciarent et publicarent, qui quidem scrutatores et compromissarii una cum notario infrascripto se ad partem trahentes inter se sua primo et deinde singulariter singulorum nostrorum seorsum scrutati sunt vota. Quibus peractis et collatione inter ipsos desuper habita tandem ad nos reversus religiosus Iohannes Bruggeman prior predictus suo et prenominati college sui nominibus venerabilem et religiosum virum dominum Bartoldum Meyger decretorum doctorem professum monasterii sancti Egidii in Brunswigk absentem, quia in ipsum omnes eligentes nemine discrepante consentierunt et duxerunt vota sua, in nomine patris et filii et spiritus sancti elegit et electum pronuntiavit prout et quemadmodum in quadam papiri cedula quam tunc tenebat in suis manibus quamque de verbo ad verbum publice alta et intelligibili voce legit plenius continetur. Cuius quidem cedule de verbo ad verbum tenor sequitur et est talis. In nomine patris et filii et spiritus sancti amen. Ego Iohannes Bruggeman prior unus de scrutatoribus et compromissariis a vobis fratribus meis nominatus et electus ad faciendum scrutinium et electionem futuri nostre ecclesie abbatis de consensu et voluntate religiosi viri domini Martini Brun custodis nostri monasterii ad hoc college mei vice mea et ipsius et omnium aliorum dominorum concorditer consentientium ex potestate michi et dicto college meo tradita invocata spiritus sancti gratia ad honorem omnipotentis dei et gloriose virginis Marie matris eius et sancti Iohannis baptiste patroni nostri monasterii venerabilem et religiosum virum dominum Bartoldum Meyger decretorum doctorem professum monasterii sancti Egidii in Brunswigk absentem tamquam presentem quem collatione facta reperimus per omnes fratres capituli nostri in scrutinio concorditer nemine discrepante electum in nostrum et monasterii nostri abbatem eligo et electum pronuntio dei nomine in hiis scriptis. Et illico more solito